Nobilissimo, clarissimoque Viro
D. Constantino Hugenio, Eq.
Caspar Barlaeus S. P. D.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Malè mihi cessit, Clarissime Vir, Censura mea, aut potiùs candida rusticitas. Adscripsi Epigrammatibus tuis Bonum, melius, optimum. Quam nunc vereor, ne alius adscripserit: Censor malus, pejor, pessimus. Helenam quavis corporis sui parte fuisse pulcherrimam, nunquam credidit Menelaus, nunquam Paris. At optimum et praestantissimum Senatorem judicare, omnia et singula tua Epigrammata esse optima, nec unum altero melius, non miror. Sinite me verum dicere, amici. nolite irasci Heroes. Aulicismos calletis. Ego ab his elegantijs, indole, loco, vitae consuetudine sum alienior. Scapham, scapham voco. Vos ἀγχίνοιαν nostis et εὐβολίαν, vos χλευάζειν τὰς ἀπονοίας. Vobis concessum ὑποκοριστικῶς loqui, et χαριγλωττεῖν. Ego Ethicae umbraticus doctor doceo, nec plus dicendum esse, quam res est, nec minus. Ergo ob virtutem vapulo, et citor ad Grammaticum tribunal. ubi pro me causam dicet simplicitas. Mi Hugeni, si singula, quae scribis, sunt superlativo gradu optima, nec τὸ μᾶλλον aut ἧττον recipiunt Epigrammata Tua, necesse erit ea aut substantias esse aut quantitates. Hae enim negat Stagirites recipere magis aut minus. at Substantiae non sunt, nec enim subsistunt per se. Quanta non sunt, quia non habent Mathematicum μῆκος, πλάτος, βάθος. Praeterea, si optima sunt, quae canis, nec illud melius, aut istud bonum, fallitur Philosophus, qui habitum dicit actionibus perfici, et actiones habitu. Nec spes est, ut posthac carmen ullum videamus melius ijs, quae scripsisti. Si semper similia scribis, pereant

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 65
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/878

versus plurimi, quibus teipsum superasti. Neq. cum
Socrate dixeris, ἀεὶ γηράσκω πολλὰ διδασκόμενος.
Si omnia tua sunt prima, „nota„ quid opus Censura? quid
opus Criticis et Hypercriticis? Censores olim in populo
Romano constituti, quia in Remi turba erant non
optimi, non pessimi. Si carmina tua

Nulla sunt bona comparatione,

ut acutissime canit cl. Heinsius, ergo Domitiani
inscriptiones mereris, OPTIMO, MAXIMO. Pergo. Si
poeta es in omnibus tibi similis, iam bonus poeta non
es, iuxta proverbium: Quandoque bonus dormitat Homerus.
Si semper ludis optima, aut verum non est dicere,
Carmina proveniunt animo deducta sereno: aut semper
serenus es, et supra fortunam. Possem plura congeri-
ere pro gradibus comparationis meae. Sed nugarum
satis est. Gratularis mihi natum, nanum Atlant.
verum illud gratius, quod speres futurum, ut ali-
quando in illius gratiam mori velit Vicariorum
aliquis. Epigrammata tua legi et expendi.
Placent singula. Sunt optima. Cavebo mihi posthac
à gradibus, ne iisdem iterum deiiciar à sexagenario
Senatore. At hunc meis verbis amice et reverenter
saluta. quin roga, ut iocos hosce et innoxios sales
boni consulat. Habui hic superiore hebdomade,
ipsis Bacchanalibus, Orationem facetissimam de
RE. quae, pro responsione erit ad suavissimum
tuum TI. Mittam propediem. ridebis non semel.

Vale Vir clarissime & ingeniosissime.
Amstelod. è Musaeo nostro v Mart. CIƆIƆCXXXIV.

Ad cl. virum
Constantinum Hugenium,
Zulechemii Dominum.

Optima iam tua sunt, Hugeni, carmina. nescit
Excellens alio stare Thalia gradu.
Non bona, non meliora facis. sunt singula, Vates,
Optima. quaeq. suum linea pondus habet.
Non primo medium, medio non discrepat imum.
Quodlibet est genio par epigramma tuo.
Par Phoebo Musisq. facis paria omnia. versus
Filiolis misces ecce pares paribus.
Talia cum sapiens edat decreta Senator;
Hoc merui, potuit quod meruisse Midas.

C. Barlaeus
poenitens.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 65
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/878

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 65
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/878